

mirum, dum gubernatur à forma ignis, comburere: verum si eo utatur anima, esse vivificum & benignum, atque alias actiones edere. Idque exemplo declarant bipennis, qua si utatur peritus artifex, id ejus ope parabitur, quod arte fieri debet; si verò sit in manu imperiti artificis, omnia per eam devastantur. Hinc quando Aristoteles dicit, in feminibus esse calorem, qui fecunda facit femina, eumque non esse ignem, aut igneæ naturæ, id ita accipiendum putant: calorem quidem illum natura sua esse igneum atque elementarem, verum eo uti virtutem vitalem, cælo proportionem respondentem, ut habet Zabarella, *de cal. cæl. c. ult.* seu ut Capivaccius loquitur, *in comm. in aphor. 14. sect. 1.* calorem illum non esse igneum, id est, non regulari ab igne.

Verum etsi hæc non absurde dicantur: tamen ad mentem Aristotelis dici, hujus sententiæ patroni non admittunt. Expresse enim scribit Aristoteles; calidum hoc (per quem non solum qualitatem intelligit: σώμα enim nominat) & πῦρ, ἃ δὲ ἴστανται δυνάμει εἶναι, ἅ τε ἀπὸ πυρός ἔχειν τὴν ἀρχὴν, sed φύσιν εἶναι, ἀναλογον πῶτων ἀέρων στοιχείω. Neq; Arist. hic disputat, cujus rei instrumentum sit calidum hoc, sed cujus naturæ atque originis. Id quod ex eo patet, quod dicit, ἅ τε πῦρ εἶναι, ἅ τε ἀπὸ πυρός ἔχειν τὴν ἀρχὴν: & πῦρ εἶναι, ἃ δὲ ποιᾶν τὴν δυνάμει. Et quod hic non sit sensus

Aristotelis, quod diversa sint agentia, quæ calore utantur, licet caloris natura sit ejusdem speciei cum elementari, ex eo patet, quod addit Aristoteles: corpus hoc τῶν καλυμμένων στοιχείων θεϊότερον, ἢ τῶν τῶν ἀέρων στοιχείω ἀνάλογον non in omnibus animalibus esse ejusdem nature, sed ὡς Διφ. φέρεισι τιμιότητι αἰ ψυχῆ καὶ ἀτιμία ἀδήλων, οὕτω καὶ τὴν ποιᾶν τὴν Διφ. φέρειν φύσιν, prout nobilitate aut ignobilitate anime inter se differunt: ita & naturam hujus corporis differre. Quam Aristotelis sententiã in eo, quod aliud admittere videtur præter elementa in viventibus corpus, secuti sunt præstantissimi quidam Philosophi & Medici. Scaliger, *Exer. 101. sect. 18. Exer. 280. sect. 1.* Fernelius passim: Schegkiius, *tum alibi, tum de calor. vi & effic. c. 4.* ubi omne corpus aut elementum, aut ex elementis concretum, aut cæleste esse, aut habere quandam analogiam & similitudinem cum cælesti corpore, scribit. Et Ioan. Francisc. Pic. Mirand. *lib. de Element. cap. 3.* scriptum reliquit: si qui Philosophorum sententiæ atque autoritati nolent acquiescere, & aliqua alia adhuc esse Elementa, quæ vulgo notis elementis mista sint, & occulta quadam vi naturæ concurrant ad res sublunares constituendas, statuerent: eos vix solide refutari posse. Idque non sine causa fecisse his videntur. Etsi enim verum sit, calorem efficere multa non propria vi, sed virtute agentis primarii, &

E uten-